



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloquia, Et
Cavillationes**

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

De Materia & Forma Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094

De Materia & Forma Sacra- mentorum.

Minime esse necessariam materiam determinatam ad Sacra-^{107.}menta. *Luth. in Captivit. Brent. in Catech.*
At quis erit determinatus effectus, si determinata non sit materia? an scriptura certam & determinatam non prescribit?

108. Nullis verbis opus esse, ad Sacra-mentorum integritatem, determinatis. At cum Sacra-menta res sint determinatae, determinatam quoq; habeant formam, necesse est, sine qua determinatum esse nihil potest.

109. In Sacramentis non necessariò requiri verbum, ad hoc, ut fructuosè percipientur. Cur ergo Christus certa præscripsit verba? Et quid est, quod August. ait, *Accedit verbum ad elemen-^{Traject. 80. In} tum & sit Sacra-mentum? detrahe verbum, quid est Aquæ, nisi Al-*^{Ioan.}
qua? & quæ tanta vis Aquæ, ut Corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?

110. Formiam Sacra-mentorum non esse verbum Consecra-
torium seu Sacra-mentale, sed concionale tantum. Errant: Ne-que enim Concionem, sed benedictionem, sanctificationem & consecrationem verba sonant: Sed neque infantes concionum, sicut Sacra-mentorum, sunt capaces.

111. Verba Sacra-mentorum esse tantum historica, non con-
secratoria. Atqui Christus historiam nullam recitauit, cum ac-
ceptum in manus panem benedixit, & manducandum porrexit:
Sed neque Apostolus historiam recitari, sed panem & calicem
scribit benedici, cum ait, *Calicem cui benedicimus, nonne communica-^{1 Cor. 11.}
tio est Sanguinis Christi, &c.* Et quidem si verbis, ex institutione
diuina, vis inest nulla, nec ad effectum conferunt, quicquam,
rebaptizandus ergo erit nemo, qui sine verbis baptizatur?

Millesexcenti Errores,

112. Sacramentorum Consecrationem non esse aliud, quā magicam per murmura verborum incantationem. *Pasim omnes.* Verum cum magia nulla sit, vel esse possit, sine pacto quomodo libet inito cum Diabolo, verba vero Sacramentorum pronuntiantur ex ore & pacto Christi, non ad dementandos vel incantandos, sed ad sanctificandos, & à potestate Diaboli eripiendo homines, quomodo magica sunt, vel dici possunt? An Christus Magnus? An Christus Belial? An sanctificatio hominū, incantatio est, vel magia? an potius eorum verba & doctrina blasphema?

113. Pontificios vim Consecrationis Sacramentorum ponere in solo murmure & strepitu verborum, siue ut Kemnitius loquitur, in solis Syllabis & Characteribus, siue vlla fide & sensu. Errant: Non enim in sono vel numero characterum & syllabarum, sed in sensu & significatione vim illam ponunt: Nec vnamagis, quam alia lingua Sacraenta administrari docent, non attendentes, quo sono sonituque vel charactere verba prounientur, dummodo sensus verus & ordo retineatur, sine quo Consecratio fieri nulla potest.

De Discrimine Sacramentorum noui & veteris Testamenti.

114. **D**iscrimen nullum esse, inter Sacraenta veteris & noui testamenti, nisi quoad signa & ceremonias externas. *Kemnit. pag. 16. Idem Luth. expressè tom. 2. lat. de Capt. Babyl. pag. 73.* Et idem expressè contrarium in *Coniuinal. tit. de Sacram.* Errant vero, planum est enim, signa utrobique esse persimilia, Neque enim alias vel panis vel aqua, vel oleum vel vinum in nouo est, ac in veteri fuit testamento. Non ergo in signis, sed in rebus ipsis significatis, querendum est discrimen.

115. Augustinum passim scribere, Sacraenta vetera in signis diuersa, in re fuisse eadem. *Kemnit. pag. 15.* Verum id quidem,